Vladislaus
[illegible]pus Leopoliensis

Declos Jos. Ant. Honor Archipraesuleus.

HONOR
ARCHIPRÆSULEUS,
In POMIANEO Capite,
Illustrissimæ ŁUBIENIORUM Domûs,
EMINENTIOR.

Dùm
EXCELLENTISSIMUS, ILLUSTRISSIMUS & REVERENDISSIMUS DOMINUS,

D. VLADISLAUS
A ŁUBNA,
ŁUBIENSKI,
DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,
ARCHIEPISCOPUS LEOPOLIENSIS,
ABBAS Cōmendatarius PARADISIENSIS,
Archi-Cathedram suam ingrederetur;
è voto & plausu
Studii Generalis Universitatis Cracoviensis
Operâ & officiosissimo cultu
PER
M. JOSEPHUM ANTONIUM
D E C L O S,
In Alma Universitate Cracoviensi Sacræ Theologiæ ac Tylicianum Eloquentiæ PROFESSOREM, Collegam Majorem, Ecclesiarum Collegiatarum: S. FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviam CANONICUM, S. ANNÆ Crac: CANCELLARIUM, ejusdemq; Festorum SALVATORIS & Beatæ Virginis MARIÆ Ordinarium CONCIONATOREM.

DEMONSTRATUS.

Annô quô,
More Dabat ConCessa poLVs terrIs pIa sIgna.

CRACOVIÆ, Typis Collegii Majoris Universitatis Cracoviensis.

In Stemma

CELSISSIMÆ & ILLUSTRISSIMÆ

DOMUS ŁUBIENIANÆ.



I.

Non plus hostilis LECHIAM formido lacessat,
Dat GLADIUS robur, consiliumq; CAPUT.

II.

Subtilis CAPITIS stylus est & acumen; ab Illo
Conceptus Patriæ, porrò salubris erit.

III.

Nudum fronte CAPUT fuit hactenus, illud ut Altus,
ARCHIPRÆSULEUS condecoraret HONOR,

EXCELLENTISSIME, ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME

ARCHIPRÆSUL.

CAndorē gratitudinis, quem Studiorum Mater Vniverſitas Cracovienſis in ſuos Principes, primoſq; Regni hujus Proceres, nulla temeratū labe, tot à ſæculis retinet, nunquā evidentius Tibi teſtari potuit, quā ad Solennē Tuū Archi-Præſuleū, in Archi-Cathedrā Leopolieſē Ingreſsū; quæ millenîs Celſiſſimæ Domui Tuæ obligata titulîs, inter feſtivos totius Poloni Orbis plau-

plauſus, in viri integerrimi affect9, hâc Tibi exiguâ applaudit paginâ. Majora quidē meritis Tuis debebātur Volumina; ſed hæc Tibi dabit poſteritas, parabūt magna Oratorū ingenia. Aptant Tibi alij ad præſēs verborū colores, alij venuſtos dicendi cōquirūt ornatus, ne à Te Eruditorū ocello arceantur: Tu in pagina hac nihil coloratum præter Purpurā, nihil à calamo pretioſum & magnū præter Te ipſum & Tua opera invenies, nihil deniq; magis humile, præter nos ipſos Celſiſſimo Nomini Tuo devinctiſſimos. Ita teſtamur.

Humillimi & obſequentiſſimi

Academici Cracovienſes.

PANEGYRICUS.

SUpremam Archi-Præſulei Honoris Sedem, ad quā Te ſumma in Republica & Eccleſia Dei vocârunt merita, dum fauſto ingrederis pedemate *EXCELLENTISSIME, ILLUSTRISSIME ac REVERENDISSIME DOMINE*; præter ſolennes Orbis Sarmatici plauſus, præter magnarum Proſapiarum totiuſq; Archi-Cathedræ Tuæ feſtivas acclamationes, publicis animata plauſibus Univerſitas Cracovienſis, Tuo Nomini devinctiſſima, magnitudinem Honoris Tui, non tam oratoriâ metiri decempedâ, quàm ad Tuā Sacram Fimbriam cū profundo cadere cultu exambit. Quidni cadere exambiat? Sibiq; ſolius venerabundi casûs eligat ſortem? cum omne id, quod dicendi de Te porrigit materiem, ſupra calamum eſt, ſupra captum ingenij & mentis cogitamina. Magnitu-

do Nominis Tui tam in altum gloriæ & Honoris excrevit, ut eandem nec celeres Oratorum pennæ, nec ſubtiles Rhetorũ ſtyli attingere valeant. Amplitudo meritorum Tuorum tam latè diffuſa, ut ipſum numerum excedat Oratoriũ. Quodſi quondam ad profana Numinum Delubra, nõ ex omni ligno ſtetit Mercurius, certè ad enarrandos gloriæ Tuæ triumphos, ex nullo formari poterit. Idem profectò eſt excelſas Tuas toti Europæo notiſſimas Orbi enumerare laudes, quod de Sole dicere, quia lucet, de igne, quia urit, de Cœlo, quia raptu primi mobilis circumvolvitur indefeſſum. Nullus enim Patrem aquarum Oceanum, littoribûs vaſtitatem ſuam non capientem, tenui infudit ſcatebræ, nullus Principem Planetarum Solem uni incluſit ſcintillæ, multò magis Tuos glorioſos actus, tenuis Oratorũ genius, inter exiguos hujus paginæ valet margines coarctare. Faciliùs longè fuerat Cleopatræ Regnum valore unionis appretiare, quàm Tua innumera in Patria & Eccleſia opera, brevî dicendi ſtylô terminare. Nõ tam operoſum fuit Plinio, triumphales Trajani actus, ad perennẽ

fæ-

ſæculorum memoriam recenſere, non tam arduum erat Homero, in centuriatam verborum magni Achillis, excurrere hecatomben, quàm meritorū Tuorum, totiuſq; Proſapiæ Tuæ Syllabū, Oratorijs concelebrare elogijs. Replevit Domus Tua Illuſtriſſima ingentibus meritis ac ſummis decoribus Polonum Orbem; famâ ſuâ pridem ultra Herculeas metas, ultra Gadios diffuſa receſſus, exiguîs paginarum columnîs teneri non poteſt. Plùs ultra pridem Gyganteo gloriæ ſuæ proceſſit paſſu, quàm gradationes Oratoriæ ire queunt, aut protenſæ Schinotenes, & longa Pneumata extendi. Majeſtate honoris ſui, adeo in totum Univerſi excrevit ambitum, ut illam nullæ verborum auxeſes, nulla incrementa Rherorica æquare ſufficiant. Ipſum Avitum Domûs Tuæ Caput, terrorē ſingulis incutit, quod profundis intentum ſenſibus, etiam elevatiſſima Panegyriſtarum ingenia, non tantùm in ſui ſtuporem, verùm etiam ad omnigenam trahit reverentiam. Habet, quid diſcat ab hoc Capite totus Europæus Orbis, ad cujus primum intuitum, decidunt Decij, tremunt Terentij, ipſiq; torquentur

Torquates. Notum hoc emeritū Caput Regnis & Imperiis, notū toti Lechico Orbi, in quo tota Reipublicæ moles ac publicæ integritatis ſalus ſecurè quieſcens, nullum unquā acerbæ ſortis experiebatur cruciatum. Caput hoc eſt Capitum caput, & ideo ſupra Capita: erectam frontē exhibet, quia inclinatæ in adverſam fortunam Patriæ, ſuccurrere novit, eamq́; in optimam erigere ſortem. A nulla unquā temporū calamitate premi poteſt, ſubmitti quidem cogitur; ſed Honorarijs Vittis, triumphalibus laureis, Tyaris Pontificum, ac Mitris Principū. Quomodo de Illo facundi quid ediſſerere poſſunt Cicerones, dum illud tam pro Domo ſua, quàm pro Patria ita diſertiſſimè perorat, ut ſenſus fatidicos fundendo, etiam ipſos exſuperet Apollines laureatos. Non fruſtra illius temporibus Enſem inviſceravit Polonia, niſi ut ſciant & noſcant ſæculà, quòd Caput hoc principalis totius Orbis armatura, quod omnē hoſtilis potentiæ ſuſtinere impetum ſit promptiſſimum. Victore gladio nunquam Patria inimicum fugat, quin prius illius rationem conſulat; inde perple-

plexiores Gordio nodo difficultates, ita prudentissimorum acie sensuum dirimit ac definit, ut cunctorum animos in perenne sibi ducat obsequium. Quoties Patria sapientissimos istius Capitis sequitur discursus, toties in gloriæ augem elevatur. Verè hoc Caput aurum optimum, dum & à redempta toties libertate, & ab æstimatis toto Orbe Polono consiliis, & à pretiosis dotib9 denominationē meretur. Nulla ei cogitatio, quæ ad Regni salutem, ad Patriæ conservationem nō procedat. Totius Reipublicæ Corpus, ut sit in integro, Caput istud dignum est supra, illius membra eminere. Si igitur tanta à Capite Domus Tuæ Illustrissimæ procedit gravitas & eminentia; quis quæso Orator? Rhetorica dilēmata, multiplici laudū argumento instructa Illi oponere audebit? quis Arpinas? de Illo dignè disserere præsumet, dum plùs uno polleat sensu, quàm variorum Encomiastarum cothurnô possit celebrari. Tomis non paginis, ipsiusq; famæ supra quodvis dicendi genus elevatis opus est pennis pro calamis, totos eloquentiæ necesse est exundare fontes, ut vel primam Capitis

Tui Gentilitij frontem condignô liceat elogiô venerari. Tu Ipse Archi-Præsul Illustrissime quis, qualis quantusve sis? vix sublimes cogitare possunt genij, sed non dicere. Omnis dicendi forma infra Tuam Majestatē est, omnis verborum apparatus, magnis meritis comparatus humilis existit. Provocas quidem magnos ad Tui celebrandum nomen animos, sed simul & sistis, simul dulcedine & formididine imples. Scribendorū dicendorumq; de Te dulce illicium est, ast & justi silentij digitus ad labellum. Verùm ne pluris Harpocraticum silentium, quàm Tuum vocale æstimetur Nomen, permittes Archi-Præsul Illustrissime saltim Te prono inculti styli. venerari cultu, non indignare Tuam, & Majorum Tuorum amplitudinem exiguâ paginâ coarctari; nôsti enim tibijs illos canere qui tubîs non possunt, & gratas Numinibus violas ab ijs, quibus non suppetit hecatombe. Ingrederis non sine solenni totius Lechici Orbis plausu Archi-Præsuleæ Leopoliensis Archi-Cathedræ Augustale, unde memineris triumphanti Octavio Augusto gratiorem fuisse incondi-

tam crocitantis Corvi ſalutationem quã facundã Oratorũ elegantiã. Verba nõ metire, animum applaudentis Honori Tuo Archi Præſuleo Palladis Jagelonicæ perpende; quæ Tuis glorioſis innixa meritis, Archi-Præſuleũ Honorem, in Gentilitio Tuo Capite eminentiorem profunda cum ſubmiſſione venerabitur.

Sublimem honorum eminentiã, illuſtres dignitatum titulos, plùs à virtute ſumere excellentiæ, quàm à nativo ſuo decore, Sole clarius documentum, Cognata equidem Superis immortalibus virtus quidquid ſubintrat, admodùm condecorat, quidquid ſua præſentia implet illud exornat, & in altiorem gloriæ evehit gradũ. Nihil eſt, quod in propriam virtuti non abeat ſedẽ, quod probitati in domicilium non cedat, & ſummîs non excellat decoribûs, ſingalariq; careat ornamento. Aſſurgunt quævis cũ virtute altiùs, quævis cum probitate ſublimiùs attoluntur. Conſcendat virtus excelſa honorum faſtigia, eminebunt celſiùs, dignitarias occupet curules, illuſtriores ſpectabuntur. Regalibus inſeratur Coronis, Sidonijs Procerum inveſtiatur dibaphis, his

pro fulgenti conchylio, illis pro adamante
201 ſufficiet pretioſo. Illuſtribûs dignitatum
cumuletur titulîs, majorem eis accu-
mulabit ſplendorem faſcibus annectatur
dignitarijs, novam illis addet excellentiam.
Illuſtrat fulgentia virtus clariùs, quæ ſplen-
dida ſunt celſiſſima facit, attollit alta ſubli-
miùs, & quæ ſublimia ſunt efficit eminen-
tiſſima. Sunt clara titulorum inſignia,
quæ præclara commendat probitas,
nec ignobiles dici poſſunt honores quos no-
bilis efficit virtus. Majorē ſibi vendicant
excellentiam honorarij Scipiones, ſi non à
ſe, aſt à Probinis deportantur. Gemmarū
decus, tantò illuſtrius conſpicitur, quantò
eminentius ornat virtutis faſtigiū. Et Prin-
cipum purpuræ tantò excellentiorem præ-
ſeferunt colorem, quantò illuſtriorem vir-
tute cooperiunt candidatum. Si non po-
ſtremus adeſt Tyaris honor, dum benè me-
ritis inſidet capitibus, ſi non modicum
Coloſſis accidit, à montibus majeſtatis,
longè majus pretium creſcit illis, qui vir-
tute adornantur. Et Regū Coronæ Prin-
cipeſq; Mitræ ſolos tantùm Auguſtos vel Ju-
lios poſcunt, nec alibi locari cupiunt & ge-
ſtari niſi verticibûs glorioſîs, & ſuam ſum-
mita-

mitatẽ à virtute habere. Verbö eminentia honoris, ad eminentiam menſuratur virtutis, & ille ex utroq; apparet Cæſar, qui tam virtute quã meritis manet glorioſus. Id totum in Te Lechicus veneratur Orbis *Illuſtriſſime ac Excellentiſſime Domine*, Qui non tantùm magnarum qualitatum dotibûs in altum gloriæ elevaris, verùm etiã Gentilitiũ Domûs Tuæ Caput Archi-Præſuleâ coronatum Tyarâ eò elevatius reddis, quò ſublimius illud meritîs Tuîs attollis Quot virtutibûs maximus ornatior ades totius faſtigium Archi-Præſulei Honoris ſuperas, oſtrô probitatis trabeatus, eminentiâ meritorum inſignis, tolleris in altum non populari aura, aut volubili fortunæ rota, ſed Tuorum decorum altitudine; imò tolli non debes Qui Tibi Apogæum es à magnarum virtutum excellentia, nec magìs Tibi, quàm Inſulæ cedis in faſtigium. Multi ſunt, qui ſola nomina jactant, aut à ſaxea Deucalionis gleba derivatum ſanguinem; Tu nihil valere nomina ſinè geſtis: nullam eſſe noveris magnitudinem ſinè virtute, ſed tumorem. Non ab Olympo nomen impoſi-

tum, Dijs æquat; ſed merita ſideribûs coronanda. Qui monſtra domat, Hercules eſt, inter aſtra referri dignus: qui nunquam ferro nudus, Achilles non ab Homero tantùm laudandus; qui agit Scipioni æquanda, in numerum ſemi-Deorum computari debet. Fumoſa lux quæ à ſolis Majorum Ceris erumpit; lubricum frigidumq; encomium, quod marmora præſtant; quæ à virtute ſimul; quæ ab egregijs facinoribus veniunt, admiranda ſunt & excelſa. Jungis utrumq; Aboriginibus Illuſtriſſimis ex utroq; glorioſus, virtutum & meritorum pennîs, ſublimia petens, non ut videaris, ſed ut ſis. Agis quæ operatur Avitũ Domûs Tuæ Caput, Cujus nativus alti judicij ſplendor, quanquã totũ diffundatur in Orbẽ, fulgoribus tamẽ virtutũ radiare, meritis in Heroibus augeri, grandeſcere in Proceribus, altiùs ùt eminere, ſic Patriæ prodeſſe ambit. Ambitus hic Domus Tuæ Illuſtriſſimæ magnanimæ dexteritatis & publici amoris præſefert documenta, ideo nullum unquã novit caſum. In alto ſemper majeſtás ejus generoſo ſanguine purpuraſcens, quò

vetu-

vetuſtior, eò venuſtior. Claritudo pluſquam Phæbea indeficiens, cujus originē 284 an meridiem in ortu ſuo venerator dum meditatur calamus. cum Sarmaticis Aquilis ad prima naſcentis Poloniæ redire debet incunabula.

Hinc cùm ampliſſimæ *LUBIENIORUM Domûs* indago fundamentum, illa mihi Quirinalis Capitolij occurrit extructio. Conducta equidem tam magnifico extruendo operi Architectorum ingenioſitas, in quo & ſalutaria Patriæ agitarentur conſilia, & debita virtus mercedem, pœnamq; flagitia reportarent; anxia cui nam loco jacienda fundamenta forent, Fortunæ commiſſum, in viſcera telluris forſan Gentilium more quæſitura omen, artificioſum expedit ferrum, protinusq; effodit caput, quô viſô geſtientes Romani varias ſibi proſperitates inde promanare ominantes, non alium ſurrecturæ in altum ſumptuoſæ ædi deſtinârunt locum; Parem *Illuſtriſſimæ LUBIENIORUM Domui* pluſquā Herculea probitate clarus præbuit originem *VIENIAVIUS*, Qui poſtquam in abditos ſylvarum receſſus, recreandæ mentis

gratiâ discesserat, immanem occurrentem sibi non sine fausto sidere spectavit *BISONTEM*, quem forti apprehensum manu, suo protinus immolavit Ensi. Cernens hujusmodi artis specimen *BOLESLAUS CHROBRI* Poloniarum Rex non tantùm heroicum Magni Viri opus, magnis in Regno præmiavit honoribus, verùm etiam amputatum *BISONTIS* Caput, in fundamentum Domûs pro stemmate in perenne dedit decus & ornamentum. Parum erat *VIENNIAVIO Capiti* bonum Patriæ cogitare, nisi eidem ad defensionem Patriæ genuina Martis propago *ŁASTHEK* de Grabia Hebda disponente Superûm voluntate & *VLADISLAO II.* Rege Poloniarum annuente, districtum mucronem sociaret. Miram profectò istius solertiam Herois quis non stupet, dum *VIENIAVA* transiret in *POMIAN*, & annulum naribus *URI* adjacentem mutauit in ensem, quô stabiles Patriæ pararentur triumphi. Hinc gloria *Illustrimæ ŁUBIENIORUM Domus* ex *VIENIAVIIS* primordia sumens, in talem perennantis famæ excrevit augem ut semper de Illa *Illustrissimi* certa-

rent

rent honores. Quidquid fortuna volubili sua rota, cæteris Familiarum invexit splendoribus, quidquid Sarmaticus Honor altissimis concessit Prosapijs, totum id in *LUBIENIANAM* coacervavit Domum ut meritò Hæreditaria ipsius Honoris & fortunæ dici mereatur. Hìc in Domo Tua *Illustrissime Archi-Præsul* per fasces numerantur Avi, semperq; renata nobilitate Nepotes vigent, semper perenni lege conservant honorem, adeo: ut quemcunq; requires hac de stirpe Virum certum sit nasci de Consule & Patriæ oracula dantem. Notum est Europæo Orbi ex hac alta Tua Consanguinitatis arbore, non unum honoris crevisse Scipionem, non unam prodijsse curulem. Ex hoc gloriæ immenso Oceano, non modica effluxit fama in *Illustrissimo Domino NICOLAO Comite in Łubna ŁUBIENSKI Palatino Siradiensi*, Qui meritîs Patriam ornans, tantam sibi apud omnes Patriæ Cives conciliavit æstimationē, quanta Illi ad incrementum Nominis satis fuerat. Meretur gravem & aurô notandum Plinij stylum, qui ferrum inter Gradivi trophæa, victrice manu noverat versare.

Pro hoſtili tabo, quô Martiales inunda-
287 verat campos, flumen Tullianum in ſua encomia meretur. Dijs auſpicibus ac ſidere dextro datus Patriæ in tutamen, bono publico in præſidium. Si ſtrepebant litui per Provincias, ſi ſævi ſtringebantur enſes inter Diſtrictus, ſi arma ſonabant inter urbes, ſi Lechicæ ditiones turbidîs agitabantur ſeditionibûs, præſtò aderat *NICOLAUS* optimè noſcens pilis minantibus opponere pila & telis tela. Seditiones comprimebat, turbines componebat, hoſtes extra limites Regni amovebat; Hector fortiſſimus atq; par quibusvis ferendis oneribus Atlas. Vidit Sarmatica militia reſidentem in pectore Ejus veluti in Auguſtali ſuo virtutem bellicã, advertit nutu ipſo loquentem bella, victorias, triumphos; qui quoties pugnavit, toties Victor, nunquam victus ex Arena ſeceſſit Gradivi. Pari animi dexteritate certavit & *ANDREAS* Comes in Lubna *LUBIENSKI* Theſaurarius Regni, Qui expedito contra Crucigeros ad Choyniciam exercitu, cum *CASIMIRO III.* Rege Poloniarum jam jam emortuas Patriæ vires animavit.

mavit. Ætas illi verna fuit, quæ victricibûs virebat laureîs, illa maturitas ævi, quæ militaris gloriæ fructum colligebat, illud ſenium, quod ſub Jove & caſſide meritîs incanuerat. Aris & armis addictus, pro Polo & Patria incaleſcebat Gradivô, & penè Gradivus erat, quoties cum hoſtibus certamen expediendum venit. Quot à Majoribus luminis, ab honoribus dignitatis accepit, ſe ipſo auxit, ſe ipſo ſuperavit. Per hos meritorum gradus proceſſerunt par nobile Fratrum *MARCUS Palatinus Breſtenſis* & *HIEREMIAS ŁUBINII* uterq; *SIGISMUNDI III.* & *VLADISLAI IV. Regum Poloniæ* amabile corculum, uterq; Epheſtio. Hos in Toga pro ſalute publica certantes in Senatoria Curuli non otioſos ad ſalvandam Rempublicam ſed ſedentarios agnovit Patria, pro Cujus Domo toties facundi extitere Tullij, quoties ingentia poſcebant negotia. Vidit Eos Lechicus Orbis in conſilio Catones, in arena Martis redivivos Metellos in Areopago Divæ Themidis integerrimos Judices, Qui Gradivo intenti, tantùm inter Martiales emicuere ignes, quantùm Aræ

Divûm, quantùm Majeſtas Regum, quan-
tùm ſplendor ſanguinis expoſcebat. Ap-
paruit in illis clarè infracta fortitudo con-
tra hoſtes in Caſtris, liberalis pietas erga
Superos, comitas & benevolentia in con-
cives Regni, munificentia & amor in ami-
cos, in reſolvendisq; Gordijs difficulta-
tum nodis ſolers apparuit judicium. Tan-
tis glorioſis horum Virorum factis, præ-
clara ſua adjunxit merita Gemma Præſu-
lum, Corona Domus, Sarmatici Poli Lu-
minaré majus, Celſiſſimus Princeps *Illu-
ſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus MA-
THIAS à Łubna ŁUBIENSKI Archi-Epiſcopus
Gneſnenſis*, Legatus Natus, Primas Regni,
primusq; Princeps Atavus Tuus non
ex calamo & ſepia: non ſinè nucleo
cortex, nec velum Timantis, quô nihil
tegitur, ſed factîs meritîs exemplîs ſupra
ingenia, plenus. Celſitudo Illi & gloria
non juxta robur attollentium, nec juxta
pollicem & palmum metientis; Qui Purpu-
ram ſuam non ſola majeſtate tuebatur,
nec ſede tantùm ab illis, quibûs præfue-
rat, ſed naturæ beneficiô, Cœli munere
generoſi animi magnitudine diſtabat.

PRI-

PRIMAS Regni, primorum Virorum ad ſuccurrendum Patriæ, ad augenda Sena- 290 tûs decora, ad Proſapiæ honorem propagandum, osq; humerosq; DEO ſimilis. Primus ad ſublevandam pauperum inopiam, ad ſolatia danda miſeris, pietate, clementiâ, affabilitate nemini ſecundus. Ab hoc Principe, principium felicitatis publicæ nacta Polonia, ſub hoc Pompilio, triumphale vexillum erexit Religio, quam è Sarmaticis oris relegare Gigantomachus voluit infernalis. Proh dolor! pululaſſet hoc malum in Patria, niſi inflammatô novi Flaminij entheô (*URUM* intelligo) ſepticipi Hydræ arrectas corpore ſetas uſtulaſſet. Quousq; ſpiravit *ŁUBIENIUS*, bene ſpiravit & Patria. Gemino Officij & Stemmatis Enſe Caput Lernæ recidit, ne aſſurgat. Paſtoralî Pedô difforme pepulit monſtrum, ne pedem inferret in Lechiam. Salaces Erebi Lycaones, ne Catholicum allatrarent ovile, ipſorum, Pontificiô annulô ora ſignavit & linguas. Primum Principem Diuina fecere oracula, verùm Senatus populusq; Polonus, in componenda publica pace expertus eſt

Felicianum: qui toties disunitum Regni corpus composuit, & arcano consiliorum nexu adunavit, quoties occasio exposcebat. Macedonem quisq; eundem dixisset nisi ille divisionem, Hic civium in animo semper præferret unionem, sauciatæ Reipublicæ vulnera Pontificiâ vittâ alligando. Pietatem ita coluit, ut eandem cum lacte Materno suxisse videretur. Tanto erga Superos amoris fervebat æstu, ut charitatis oleum, sæpenumero devotionis fervore accenderet. Mariani Honoris verus apparuit Cultor, cui ut ex asse pretiosum testaretur affectum, magnifico sumptu Peraugustum in Monte Claro erexit Sacellum, è cujus sorte sors optima cecidit in MARIAM. Nec ab alia manu Polonorum Regina sibi erigi voluit tabernaculum, quâ Quæ Regna distinguit & Regum jura decernit. Et quis gemmeum non fatebitur *PRÆSULEM?* qui primitivum suæ felicitatis esse, non alteri subscripsit Conchæ quàm MARIÆ. Tantîs meritîs & dotibûs clarus *MATHIAS* ad hanc devenit sortem, ut *JOANNEM CASIMIRUM* decretô electionis nemine dissentiente,

ente, in Regium evexerit Thronum, & Serenissimam olim *LUDOVICAM MARIAM* Reginam Poloniæ, Regalî adornatam Paludamentô coronaret. Assurgeret altiùs in majores Panegyres huic Archi-Præsuli scriptorius calamus ni sciret, numerum meritorum illius ita infinitum esse, ut ad calculum revocare sit Oratoribus difficillimum. Tacere tamen nefas est os Regium *Illustrissimum STANISLAUM à Łubnâ ŁUBIENSKI Episcopum Płocensem Procancellarium Regni Abbatem Tynecensem*, cujus signatoriô annulô, velut Orbe Cœlesti, Orbi Sarmatico, aureæ volvebantur horæ, & quotidiana gemmîs fluxere momenta. Os aureū dici debuit, quô teretes fundebat gemmas, atq; illa vox quæ ad placitum boni publici semper significativa erat. Non pro illo tempore defuêre negotia, quorum tractatio ambigua, varios è diverso sensus in puncto Majestatis & libertatis exercebat. Regni Aquilas, ubi opus erat fecit fulminum ministras & ipse tonans Pericles erat, ast & nunquam Jovis Sarmatici *SIGISMUNDI III.* gratias non locutus. Sigillum suum novit tam

dextrè paginæ apprimere, ut ex ſignatoria cera miſeris mella exprimeret. Non Domi tantùm pro Principe & Patria Orator: Legatus ad *URBANUM VIII. Pontificem Maximum* eas roſas locutus, ut dulcî ſuô eloquiô, ipſos Hortenſios ſuperaret. Mirabantur Romani Polonum Oratorem *ŁUBIENIUM* & veriorem Tripodem venerati, magnetem cordium appellârunt. Quivis vocis ejus accentus gravis erat, & quoties mellitam ab ore fundebat Hyblam, toties attica dicendi ubertate audientium animos emollivit. Habuit ex illo Patria ſubſidium, Senatus Gloriam & Honorem, Eccleſia firmiſſimũ experiebatur præſidium. Zelus Divini cultûs qualis in illo erat teſtantur id, ejus benefica manu extructæ in Eccleſia Cathedrali *P*łocenſi Divorum aræ, effert ſub ſidera ſui Fundatoris munificentiam non tantùm Collegium *P*ſalteriſtarum ad Eccleſiam *P*łocenſem erectum & ditatum; verùm etiam Contubernium *P*hiloſophorum in Univerſitate Cracovienſi ab illo auctum perennes Mecænati ſuo gratias agere non deſinet. Inter tantos glorioſos hujus *Præ*-

ſulis

ſulis actus, vivit etiam nunquam moritura gloria *ALBERTI ŁUBIENSKI Eccleſiarum Cathedralium Gneſnenſis, Cracovienſis Canonici, Præpoſiti Pułtovienſis*, qui virtute & ſanguine nitens, generis nobilitatem probitatum nobilitati adjunxit, ut in eo unita cum virtute nobilitas fortior eſſet. Ardebat in eo Cultûs Divini zelus, pietatis incrementum, ac munus DEI maximum, mens devota. Eluxit in animo ejus omnis ſinceritatis candor, in mente prudentia, in ore affabilitas, erga miſeros clementia & bonitas, omnesq; in illo virtutes, velut ſidera dum ſuo mergitur ponto Tytan enituere. Judex Tribunalis Regni aliquoties ex utraq; Cathedra Deputatus, docuit ſuô poſteros exemplô, quomodo Aſtreæ Hecatombe immôlanda. Fugiebat procul omnem corruptionis umbram, ne lucidam obumbraret veritatem, recti honeſtiq; Cultor, nullo cenſu opulentior eſſe videbatur, niſi animi, nulla dote præſtantior, quàm virtutum. Illâ ſemper maturitate judicij ac ſapientiâ polluit, quæ graves Catones & Fabios decet. Certabant de illo Præſulum

Tyaræ, quæ emeritum hujus Viri cinxiſſent caput, ſi inimica vitæ humanæ Atropos, illius gloriæ ſtamina non præſcidiſſet. Prominet inter alios ſagô clariſſimus & Toga, magnus meritis, probitate maximus *JOANNES à Łubna ŁUBIENSKI Vexillifer Siradienſis*, quem publica militarium negotiorum munia glorioſè commendant, ad elogiumq; Illius ſufficiunt. Æqui boniq; conſcius non magis fortiſſima, quã ſe ipſum vincens, ſine cæde Victor, ſinè armis triumphator, cœleſte ingreſſus Capitolium. Secutus Magnorum veſtigia Heroum Illuſtriſſimîs prognatus Cerîs, *SIGISMUNDUS ŁUBIENSKI Palatinus Siradienſis, Pro-Avus Tuus*, cujus recordatio dulcis in Orbe Polono, & memoria durat perennis. Splendebat in ipſo gravitas morum; promicabat Heros animus, Atlas certe Patriæ fuit, quam ſemper in ſincero corde ferebat. Major ipſô apparuit Scævola, cùm ille pro Patria unam tantùm aduſſerat dexteram, hic totus dexter, ignẽ ſpirabat bellicum, quô ſibi & Orbi Polono perennem accenderet gloriam. Teſtis illius Achillei roboris ipſa Otthoma-

nica

nica Portà, ubi fortiſſimè pro bono Pàtriæ decertans, hoſtiles catervas, ad ultimam usq; depreſſit perniciem. In facie Procerum Regni, quotquot nodos ſors adverſa objecit, tot mentis acumine diſſolvit vimq; ſolvit malorum. Ad Generalia Regni Comitia multoties Legatus, optimi Civis gerebat nomen, dum pro bono Patriæ diſerto ore peroravit. Dignissimus Senator: Bona conſilia, animam eſſe noverat Reipublicæ, his continuò intentus, tam in publico quàm in privato, oracula conſiliorum pandens, languentem animavit Patriam, & placidæ reſtituit quieti. Quoties in Senatu locutus, quoties diſerto ore peroravit, toties Eum Polonus Orbis redivivum eſſe Tullium autumabat. Lechica libertas defenſore *SIGISMUNDO* nunquam ſervitutem paſſa, captivam ſe tamen toties libentiſſimè voluit, quoties inter aurea verborum ejus vincula ſtetit. A tanto Heròe prodijt in lucem publicam, Gemma gloriæ, Senatùs Poloni decus, Eccleſiæ fortalitium *Celſiſſimus Princeps Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus CASIMIRUS à Łubna ŁUBIENSKI, Epi-*

scopus Cracoviensis Dux Severiæ Patruus Tuus 29 qui quantum pro bono Patriæ & Ecclesiæ tulit & alsit, facta ejus loqvuntur. Vigilantissimus Diœcesis Cracoviensis *Past*or, quantùm pro Gloria DEI laboraverit, quantùm pro reparandis Templis, Xenodochijs, operæ & æris impenderit, quantô pro extirpandis Hæresûm monstris zelô certaverit: vidit Orthodoxa Religio, vidit Cracovia, tantumq; fidei Defensorem acerrimum, in perenni tenebit memoria. Novit hic *Præ*sul fulminare in vitia & virtuti parare triumphum. Judex Deputatus ad Suprema Tribunalis Regni Judicia, utriq; parti facilem præbendo aurem, injuriæ vindictam, innocentiæ victoriam, laturus. Vidit maximam in Eo in rebus agendis prudentiam *Serenissimus ac Invictissimus AUGUSTUS II.* ideo emeritum Caput Ducali Severiæ mitrâ, ac Cracoviensi Insula coronavit. Consecratus in Monte Claro candidissimus *Præ*sul, montem pietatis, tota vita Capite suo gestandum assumpsit, Ipse meta altiorum honorum eminentissima futurus. Extollit Caput ejus Ecclesia Cathedralis Craco-

vien-

viensis, quam non tantùm sumptuosa turri adornavit, verùm etiam Mausolæum D. Stanislai Episcopi & Martyris postibus marmoreis ac argentea supellectili, oneravit. Canit munificentiam hujus Principis *CANTIUS*, à quo ad sua Lypsana suam gloriam & ornamentum recepit. Erubescit ulteriùs ad tanti Purpuram Principis, impar celebrandis virtutibus Ejus svada, immensum celebrium operum recensere computum, quinimo indicit silentiũ, dum Summum Caput *CLEMENS XI. Pontifex Maximus*, Illum aureo præconisat ore; pridem Cracouia talem Episcopum non habuit, justum & sapientem. Hunc Cardinalitiâ vestitum purpurâ Lechia spectaret, ni felicitati humanæ invisa sidera illum subtraxissent; eheu ! vivens hic magnis meritis & fama, moriens lacrymis totum Sarmaticum replevit Orbem. Ad hujus dignissimi Præsulis gloriæ Majestatem accurrit & Frater ejus Germanus *Illustrissimus & Excellentissimus Dominus BOGUSLAUS à Łubna ŁUBIENSKI Castellanus Sandomiriensis* Exercituum S. R. Majestatis & Reipublicæ Polonæ Generalis, Jadovni-

cenſis ſeu Capitaneus Tuus Patruus, Vir omni authoritate major, qui glorioſiſſimis Prædeceſſorum ſuorum inhærendo veſtigijs, ne commune Patriæ in præceps rueret bonum fluctuantium ſenſus in rectitudine mentis multoties firmauit, ſolidavit. Poſcebat quando Patria fulciri libertas, Ille fortem ſuppoſuit lacertum, requirebat Tripodem Senatus, Ille proficua dabat oracula, egebat ingruente periculorum tempeſtate protectore Clypeo; adfuit ille extremis Fabius, ſpes ultima rebus. Centoculô oculatior Argô, profundô ingeniô ingruentes in Lechia prævidebat procellas, ultraq; Patrios limites ſemper propagare curabat. Vidit hanc animi dexteritatem in tanto Heroë *Sereniſſimus olim & inviĉtiſſimus AUGUSTUS II. Rex Poloniarum*, hinc non tantùm eundē Exercituum ſuæ Majeſtatis & Reipublicæ Generalem fecit, verùm etiam eundem Senatoriâ purpurâ inveſtivit. Ad Senatoriam honoris elevatus augem, totum ſe publico devovit commodo, quod ita prudenti conſilio, & non fucato abſolvit amore, prout optimum decuit Civem. Comiti-

miti-

mitijs Generalibus Regni, quoties aderat toties aureîs verborum catenîs, ſenſus maturos conſulentium in propriam trahebat ſententiam. Omnibus potuit, quid & quanta merebatur *SENATOR Hic digniſſimus*, omnium excedebat captum, quàm profundo præſtabat ſenſu, quàm edecumatâ prudentiâ, in ſingula ſagax, in omnia circumſpectus. Pro Regni integritate ubiq; indefeſſus apparuit Operarius. Campis in Sarmaticis ut aurea floreret creſceretq; meſſis, illam uberrimo meritorum ſuorum rore conſpergebat. Officia, ad quæ & maturitatis judicij, & conquiſita multa eruditione multoq; rerum uſu prudentia, Patrij juris perfecta notitia & undiq; circumſpecta requiritur ſedulitas, quoties ſuſcepit, toties glorioſè ac utiliter perfecit. Theatrum quodcunq; nactus, in eo omni animum parem negotijs oſtendit. Scenam omnem, dignam ſe Roſcio peregit. Laboravit pro Gentis gloria, laboravit pro ſua, & quidquid honoris Nomini comparavit Polono, & ſuo. Ampliavit hujus *SENATORIS* digniſſimi gloriam dilectiſſima ſui Mariti Conſors, *Illuſtriſſi-*

morum olim CASIMIRI LUDOVICI in Radzymin & Karczewo BIELINSKI Supremi Regni MARESCHALCI Czerſcenſis Tucholenſis, Oſicenſis; &c. CAPITANEI, & LUDOVICÆ de Raciborſko MORSTYNOVIÆ Theſauraridis Regni Parentum Filia, TERESSIA, illo hæc prognata Sanguine, qui à Purpuris innatum habet ruborem, à Senatorijs Curulibus immortalem ſuum derivat curſum. Levis hæc pagina grandis è mortalibus Cineribus non evocat manes ſatis habet ſplendoris non tantùm in Tyaratis Capitibus, verùm etiam in Viris illis, qui Senatoriâ veſtiti purpurâ plurima laude digna geſſerunt & gerunt, quos ad numerum revocare non unius Archimedis arte utendum eſſet. Ex hac omnis probitatis Idea, apparent vivæ Parentûm Imagines Illuſtriſſimæ Matris dilecti Filij *CASIMIRUS Capitaneus Lelovienſis, MATHIAS Cathedralis Cracovienſis ARCHIDIACONUS VLADISLAUS olim Exercituum Regni Generalis, Capitaneus Oycovienſis,* qui quantùm pro bono Patriæ, ac Eccleſiæ certant, facta eorũ loqvuntur. Primus unius, alter alterius, menſura eſt, imò veriùs uterq; virtutũ

Ty-

Typus, ac glorioſarum actionum expreſſio. Primus quidem optimorum morum gravitate, firmâ in omnibus conſtantiâ, affabili comitate, & hæreditaria Domui ſuæ fortitudine, meritiſſimum ſi non ſuperavit certè æquavit Anchiſen. Alter Perauguſti Capituli Cracovienſis decus & ornamentum, magnum Parentis ſui Nomen ita meritis adimplet, ut nec paſſu, à glorioſis illius recedat actionibus. Redivivus in eo relucet Demoſthenes, nam quidquid loquitur, floridum eſt, quidquid ediſſerit roſeum, quidquid agit, liliatum. Erigit Mars Polonus immortalis gloriæ trophæa *Magno GENERALI Regni VLADISLAO*, qui manu & conſilio potens, omnia momenta laudatiſſimis ſemper implere curabat operibus. Verior pro bono publico Stadiodromus, Majorum ſuorum decurrens veſtigia, annorum ſuorum nec minimam ſinè meritis voluit decedere partem. Statum militarem non alijs quàm æquitatis, prudentiæ, definivit limitibus, Supremo Exercituum Duci ut felicior militaret Athleta, corporis exuvias ſolvit; ipſa Eum Virtus ſolo eripuit, Cœlo invida intulêre

fata, numerusq; meritorum Supremas Cœ-
303 lorum vexit ad ædes.

Sed non hìc adhuc laudum *ŁU-BIENIANÆ* Domûs Coronis, quia nec meta rectè agendorum. Huc multi venirunt in numerum Oratorium, imperfracti bellîs Heròés Togâ Sagoq; celeberrimi *ŁUBIENII* non tantùm meritis Minorem ſed & Majorem ornantes Poloniam, qui ſibi diſtinctas & multas Panegyres poſcunt, cúm una omnibus non ſufficiat. Quare à clariſſimis Prædeceſſorum Tuorum umbris prodit in lucem publicam Poloni Senatûs ocellus, Sapientiæ Lyceum, Hoſtium terror *Illuſtriſſimus D. MATHIAS à Łubna ŁUBIENSKI CASTELLANUS Siradienſis, Capitaneus Przedecenſis Avus Tuus ARCHI-PRÆSUL Illuſtriſſime, qui ſub JOANNE CASIMIRO Rege Poloniarum* fortia cum Tartaris prælia peragens, non tantùm millenis dignùs elogijs, verùm etiam ipſa Illius Heroica virtus immortalem Ipſi apud poſtera ſæcula ſemper conciliabit famam. Tenero adhuc iſti Heroi, feroces hoſtium exuviæ ludus erant, reptabat per ſcuta puer, in parvo corpore

Gygan-

Gigantem ferendo animum, non aliam tractavit pilam, nisi pila minantibus pilis 304. opponendo non aliã odoratus Arabiã, quã fumos militares, non alia dilexit crepundia, nisi arma. Et bene: non amant enim nisi grandibûs exerceri ingentes animæ, statim ad magna nascitur, cui Herculem nasci contigit. Diceres *MATHIAM* in adolescentia Milonem, nisi hoc ab eo discreparet, quòd ille vitulis, hic arietibus bellicis assvevit bajulandis. Non papaverum cum Tarquinio, sed rebellia inimicorum messuit capita; hac fortitudine in tantum excrevit Heroa, ut ab hostib9 timeretur. Fortissimum ex illo Patria Præsidium habuit, & ut quondam Trojanis Pergama tutamen, sic Poloniæ illius invicta fortitudo arx inexpugnabilis erat. Habuêre ex hoc Heròé, Gradivi certamina Drusum, Senatus Fabium, Comitia Nestorem, Legationes Cyneam, Tribunalia Aristidem, libertas Polona Defensorem totus deniq; Sarmaticus Orbis fortissimũ quibusvis in adversis experiebatur Hectorem. Stat laus pariter immortalis gloriæ in *STANISLAO ŁUBIENSKI* altero

ab Avo Filio; Tuo verò Patruo *Mecænatum Optime*, qui ad maxima Peraugustæ Domûs suæ decora natus semper in Castris strenuus apparuit Scipio, bonum Patriæ defendendo, ac strenuè pro integritate boni communis decertando. Et cũ maximis heroicis floreret in Regno operibus, in hoc sibi multùm injurius fuit, quòd ultrò se quærentibus honoribus locum abnegaverit, quos maluit mereri, quã habere; nec immeritò: Adamas ubiq; absq; annulo adamas est, uniones in profundo maris pretium non amittunt, nec virtus indiget subselijs, ut splendorem acquirat, quem ex se habet. Hæc animi magnitudo ac virtutis Majestas resplendet in *Illustrissimo ALEXANDRO ŁUBIENSKI Capitaneo Wągczoviensi Patruele Tuo*; vero Polonæ gentis Macedone, qui non tantùm animô fortis, periculîs imperterritus, hostibus terribilis, verùm etiam in expediendis negotijs Reipublicæ adest gloriosus. Ut magno suo correspondeat Nomini, nil unquam exiguum agit, ubi traducto in se generoso antiquioris Alexandri spiritu novum se orbis Poloni Philippidam probat.

probat. Quoties pro Patriæ bono facundo perorat ore, toties verborum gemmîs inopem ditat Poloniam. Summâ prudentiâ, generoſa activitate, ferventi zelô, quaſcunq; ſibi deſuper commiſſas functiones agit, omnes ita glorioſè abſolvit, ut Nomini ſuo inſignem paret honorem. Tantum virtutibûs ac ſapientî animô præditum Virum, nec Majorum Ceræ, nec ſolida eruditio, nec ipſa corporis ſpecies digna imperio attollit, ſed virtus in quo dominium tenet moribus gravem, nemini moleſtum, omnibus affabilem, mente ſublimem non elatum reddit. Quis non miratur ejus liberalitatem, dum illi nullum momentum eſt, quô monumentum gratiæ ſuæ non relinquat. Pulſat fores egeſtas, accipit beneficia, occurrunt orphanorum lacrymæ, adſunt præſtò ſolatia, nulla calamitate mobilior Aurelius hic, quàm aliena. Hydaſpem & Gangetem non Lydiæ torrentes, ſed manuum ejus appellare fas eſt, dum ita ſe unus in omnes effundit, ut nunquam fontem ſuarum exhauriat gratiarum. Activa quondam apud Tytum otiabantur beneficia

Viro huic nulla dies sine linea munificentiæ, nulla hora quæ aureâ largitatis illius arenâ nequeat mensurari. Excurreret in ulteriores hujus Herois dignissimi Panegyres Oratorius calamus, ni sciret, quòd illius laudare Actus idem sit ac guttas Pelago superaddere, cum ipse sibi sit sicut meritorum ita vastissimus gloriæ Oceanus. Inter tot illustria tantorum Virorũ opera, resplendet etiam in Orbe Sarmatico lumine virtutum & gloriæ fulgentissimus, *Illustrissimus Dominus ALEXANDER LUBIENSKI Subjudex primò, dein Judex terrestris Calissiensis, ac tandem Castellanꝰ Gnesnensis, Patruus Tuus*, qui heroica virtute tantùm inclaruit, ut illius gloriosa opera Polonus non potuerit capere Orbis, ut quondam Alexandrum Macedonia. Totos Vir hic in Martis aciem vertebat conatus, inter bellorum malleum & incudem positus, nunquam victorem deponebat animum, contra omne ferrum rebelle, successibûs undiq; lætîs dexter per medios ibat satellites. Semper adversîs inconcussus ictibûs, primus in immanes hostiũ catervas bellatore irrumpebat animo, non

finè

ſinè comitante triumpho. Indies Patriam ſudoribûs alluens, innata fortitudine muniens, non aliter vivere ſcivit, niſi vitam omnium tueretur. Magni Macedonis in ſe expreſſit imaginem poſteris adorandam ſæculis, dum qvoties ardua Reipublicæ obvenerunt negotia, toties eadē dexterrimè reſolvebat enucleabat ſingula quæ arduo tegebantur cortice, tantùm ingenij acumine in perplexis victor, quantùm in Caſtris glorioſus. Judex terreſtris Caliſſienſis, has ex controverſijs formabat ſententias, quas meliores ipſa Themis non formâſſet. Cæcam Aſtræam in ſuis negotijs nemo tunc poterat incuſare, cùm illi pupilla aderat *ALEXANDER*. Nemo æquilibrium ejus, à ſua averſum videbat parte, cui ille ſui Judicij limatiſſimi interponebat bilancem. Illo præſente triumphabat ſemper ſub mucrone Themidis innocentia, gaudebat ſe tanto Judice tueri, ſola vitia vitabant à longè ſententiam ejus, à quo non aliam, niſi capitis pœnam referebant. Coram illius Areopago juſta cauſa nemine indigebat Patrono, injuſta etiam millenîs Protecto-

ribûs ſtipata in exilium mittebatur. Por-
ro unum Macedo ſecuit Gordium acina-
309 ce nodum, hic quævis intricatiſſima
totius *Palatinatus Caliſſienſis* negotia, acu-
mine mentis penetrare & reſolvere ſcie-
bat. Ille unam Iliadem Homeri nocte
dieq́; manibus verſabat doctor ab illa
evaſurus, Hic Pandectas, Hic Deretalium
volumina, hic Regni ſtatuta, Juris totius
corpus, capaciſſima complexus mente, ſu-
îs ſanſibûs ipſam Themidem animavit.
Omne ejus Verbum, ſapientius Lycurgô
effatum erat, omne conſilium apertum, &
quidquid docta ſua annotavit manu, con-
di in paginas poſcit. Digniſſimus Sena-
tor, eas in Senatu locutus roſas quæ vir-
tuti odorem ſpinas ſceleri inferre ſolent.
Bona conſilia animam eſſe noverat Rei-
publicæ, his continuò intentus, tam in pu-
blico quàm in privato oracula conſilio-
rum pandens, languentem non ſemel ani-
mavit Patriam, & in flore omnigenæ reli-
quit proſperitatis. Si largam Emeritiſſi-
mi hujus de Republca Senatoris ſpecula-
bimur munificentiam, talis fuit, qualis Ve-
ſpaſianos aut Trajanos ornabat. Nemo
ab

ab illo recessit, quin se beneficijs obæratum agnosceret, metire se gratitudinis herbas censuit, cùm seminavit munera, congregare fortunam, cùm eam dispensaret, fænerari, cum sine retributione donaret. Sunt memores Ejus beneficij tot Religiosi cætus, quos sibi cumalatîs devicit & obligavit affectibûs. Testatur ejus munificentiam Calissiensis Basilica Monialium Sancti *FRANCISCI*, testatur & Ecclesia Parochialis Ivinensis, quarum Ecclesiarum Fundator gratiosissimus, non tantùm æris proprij impensis Easdem à primis fundamentis erexit, splendida supellectili donavit, ast etiam sufficientibûs proventibùs ditavit, & larga dote cumulavit. Non hic exarat calamus hujus Mecænatis pia erga egenos, erga Xenodochia, erga pauperes nobiles opera, ipsa enim ejus munificentia vocalem pro Domo ejus agit ubiq; Oratorem. Eòdem ad omnem perfectionis properavit gradum *Illustrissimus D. MATTHIAS à Łubna ŁUBIENSKI Venator Siradiensis dilectissimus Pater Tuus Illustrissime ARCHI-PRÆSUL*; Qui Marti Polono dicatus, quoties bellicas expeditiones suscepit,

pit, toties infenſos Patriæ fugavit hoſtes, victricia ſibi gloriæ Trophæa erigendo. Habuit Polonia alterum in eo Coriphæum, pro cujus bono animam etiam diviſiſſet, ſi dividi potuiſſet. Venator digniſſimus, non alias venabatur prædas, niſi corda Principum, niſi Regum affectus. Ejus conſilijs vixit Patria, & ubi frigidi conſultantium fuerunt animi Hic Flamminium egit, ad ſaniores ſenſus Civium mentes inflammando. Vidit illum libertas Lechica fortiſſimum ſui fortalitium, pro cujus integritate ita certavit: ut ſolus maxima ſubire pericula vellet, ne illa ſubiret minimum. Ad Tribunal Regni è Palatinatu Siradienſi Judex Deputatus, quantum zelum pro juſtitia exhibuit, perſpicacis Iudicij gravitas, Legum induſtrioſa peritia, mens omni eruditione plena, evidens præbent documentum. Quidquid dixit, fatidicũ, quidquid ſvaſit, ſapientiſſimũ, quidquid decrevit in Canonem virtuti ceſſit. Audiverunt ſæpius publica Comitia perorantem *MATTHIAM* & approbaverunt ſuæ ætatis Conſum, Patriæ Propugnatorem, ac infractum pro legibus Regni Columen.

lumen. His tanti Viri virtutum qualita-
tibus, non exiguum Gloriæ ſuæ ſuperad- 312
dit decorem dilectiſſima Ejus Conſors
Illuſtr: MARIANNA SŁODOWSKA Armorũ
Jelita, Genitrix tua, quæ non tantùm na-
tivo ſuo Sanguine, verùm etiam innume-
ris ſuis animi dotibus totam *ŁUBIENIA-
NAM* ornavit Domum. Eluxit in animo
Ejus omnis ſinceritatis candor, erga DE-
UM inextinctus amoris ignis, in mente
prudentia, in ore affabilitas, erga miſe-
ros clementia & bonitas. Nulla illi gra-
tior indulgentia erat quàm ad Aras; repu-
tans, tunc organa ſuorum ſenſuum otia-
ri, niſi laudem DEO reſonent. Gemma
hæc omne pretium ſuperans poſtquam
innatis ſuis dotibus & virtutum fulgori-
bus Polonum illuminavit Orbem, Cœ-
leſti inſerta Coronæ. Cadit hæc Ejus
gloria in *Illuſtr: D. FLORIANUM à Łubna
ŁUBIENSKI*, Fratrem Tuum, qui Dapifer
primo Ravenſis, dein Vexillifer Petricovi-
enſis, ac tandem Notarius Siradienſis, quid-
quid agit, hoc totum illi in perennem abit
famam. Pietatem Viri hujus, Sacræ com-
probant Ædes, quas aſcetico ſemper inco-

lit ſpiritu & Sanctis replere non ſinit ſu-
ſpirijs. Virtutum compendium cum fue-
313 rit, innatam benignitatem authoritate, mo-
deſtiam gravitate, clementiam juſtitiâ ita
temperat, ut omnibus affabilis, nemini
non jucundus videatur. Non ſic pro Phi-
lippo Antipater, pro Carthagine Annibal
pro Roma Fabij, Decij, peragebant vigi-
lias, quàm Ille pro Rege, Fide, & bono
excubat publico. Repetitis vicibus à
ſuis Palatinatibus Siradienſi Grodnam,
Ravenſi, à terra Vielunenſi ad Generalia
Comitia Regni Varſaviam Legatus, tan-
tùm ſuo eloquio & animi dexteritate ef-
fecit, quantùm meliùs in ſenatu Romani
non effecere Cicerones. Tribunalitia
Themis illum ad ſidera effert, dum quo-
ties fuerit Judex, toties Areopagi Sarma-
tici illuſtre lumen, Regniq; Legum, ſum-
mus Arbiter ab omnibus colebatur. Ju-
ſtitiæ fidelis Cuſtos, prudentiam & ſapi-
entiam ſibi ſocias adjunxit, ut bene in
Cauſis, pro Cauſa DEI & proximi age-
ret. Notarius terreſtris Siradienſis, quæ
& quanta agit, Acta publica nunquam
ſine laude teſtantur. Nemo notas con-

trahere

trahere poteſt, ubi Virum hunc ſpeculum probitatis habet, nemo errare hoc Duce optimo, nemo vitijs cæcutire tanto virtutum ſole reſplendente. Nihil Actis Ejus notabilius inſeri poteſt, quàm ipſius glorioſa opera, nulla lex communior obſervari, quàm exemplaris vitæ illius Regula. In arduis Regni negotijs ſæpe Commiſſarius, comitem ſibi Juſtitiam habet, quæ ſi ſemel pacem oſculata eſt Illius *POMIANEO* Capiti ita eſt adſtricta, ut nunquam avelli poſſit. Plura Vir hic meretur elogia, verùm Oratoris ſtylus profundam Ejus veretur offendere modeſtiam perbellè ſciens: quòd maluerit ſemper laudanda agere, quàm laudari.

Verùm quidquid de Majoribus Tuis dictum eſt, Tuarũ laudum & plauſuum materia eſt *Illuſtriſſime Archi-Præſul*; virtus, & omnia glorioſa Anteceſſorum Tuorum merita, Tuo ſunt communia Nomini, quorum gloria unà cum Sangvine in Te defluxit. Avorum Atavorumq; Tuorum Arma & Illorum Trophæa,, Tua ſunt, nec minus Illorum, quàm Tuo Honori militantia. Sparſa ſunt innumera decora in Aborigenes Tu-

os, ſed quæ ſingula beatos efficiunt, Tu collecta tenes. In Te primæ magnitudinis ſidere totum firmamentum relucet, atq; velut in Achillis Clypeo totus patet Deorum Senatus. Magnos Prædeceſſores Tuos, ingenti meritorum quantitate efficis maximos. Conſpirârunt in Te omnes gratiæ & Superûm favores ita; ut Te à cunis ſtatim ſupremorum Honorum efficerent Cãdidatum. Prima vitæ Tuæ aurora, meridiem Tibi gloriæ accendebat, ad cujus exortum, Curules, purpuratum Senatorem, Aſtræa, juſtitiæ Cultorem, totus Lechicus Orbis, indefeſſum proſpiciebat Atlantem. Spes omnium jam tunc impleviſti adultas, quando vix incipiebas adoleſcere. Jã tunc triumphantem in Capitolium gloriæ manuducebas Patriam, quando vix tumeſcẽti ſub pede Tuo arenæ imprimebas veſtigia. Virtutum potiore numero, quàm annorum ſuccreſcens, ita prætextam tuleras, ut nunquam diſtinctus idereris, & in togæ meritum, involares; in tenera ætate non intempeſtivus honori, qui ingeniô maturus apparebas. Crevit Tecũ indoles ætate major, quæ Illuſtriſſimis ſemel accen-

ſa Ceris, ardebat ſemper illuſtrioribûs occupari. Ab Oceano ſangvinis, ad fontes properâſti ſapientiæ, Quem ubi Jagellonicæ ſalutârunt Muſæ, ut plauſum dediſſent, Apollinem ad Cytharam, Parnaſſios colles ad ſaltus, Hippocrenem, quæ ſvavi decurreret ſuſurro, concitârunt. Bibiſti avidiùs illos ſcientiarũ fontes, quos hauriendo Majores Tui, dulcibûs gratiarum fluentîs copioſiùs auxerunt. Regiæ Tibi, arbitriô Dulciſſimi Progenitoris, placuere Muſæ, ut poſthac ad mentem Regum ſaperes. O quantum Apollinis Cracii Muſarumq; delicium eras! Vix in arenam eruditæ Palladis veniſti, jam cordium & animorum triumphâſti Victor. Non erat tam difficile quidquam: tam perplexũ in ſcientijs, quod ſubtili ingeniô non perceperis, profundô judiciô non penetraveris, omnia ſvaviter dicens, ac ſi congenitas artes haberes. Nullus erat in Scholis Cultor, qui Te imitari nõ ſtuderet. Trahebas alios ad Scholaſticam diligentiam ligatô: aliorum animos ad ardua quæq; ſolutô reſolvebas elogiô; omnes ad æmulã concitabas virtutem; cùm tamen omnes generoſa indole ſupe-

raveris. Primum Tibi & maximum proficiendi auspicium erat in animo: corã Supremo Numine imminui, pijsq; affectibus in Superos ferri. Hinc quantùm profeceris; quantum in flore ætatis fructum attuleris scientiarum, lingua Te prodit, ipse Tuus calamus par cultissimis, gravis, solidus, eruditus, vel hodie id Orbi defert. Athenas jam vastô complexus animô, ut quæ legisti, audivisti & alta reposuisti mente, in amplissimo terrarum Urbiumq; theatro spectaret Orbis, Tuq; ut videres sub alieno Sole, quæ mente tenes, ad Exteros cursum protraxisti. Delphicum Te exoticæ Gentes credebant Numen, ad cujus oracula ipsi obmutescebant Tullij, ad graves & maturos, verborum sensus, in stuporem cuncti abire cogebantur. Jovem adorabant terrestrem, in quo majestatem virtutum, splendores animi, naturæ Divinas fermè dotes invidebant Principes, admirabantur populi, amabant universi. Didiceras remotas Orbis lustrando Regiones, quanta sit magnis à longe reverentia Viris; plurimîs nisi á Te exprimenda idiomatibûs

bûs. Didicisti à Scholis Philosophicis & Mathematicis omnem scientificam eruditionem non opinionem scientiæ. Vidisti quæ sunt optimæ Gentium leges, qui Aularum cultissimi mores. Obscurâsti Solem alienum, & quod deesse Patriæ videbatur, sedulô annotâsti studiô ut efficeres justissimis legibus instructam, optimîs moribûs excultam, ac artibûs liberalibûs eruditam. Nulla se menti Tuæ perspicacissimæ obtulit difficultas, quam facilem non redderes, subtili non enodares ingeniò. Neq; potuit tam sublimis dari scientia, in qua non emineres, aut cui è Tuis qualitatibus non superadderetur perfectio. Concentrâsti in Tuam mentem limatissimam, Solis Aquinatici radios, & illos nova claritate auxisti. Docti sudoris unionibus, adjecisti pretium Thomisticæ summæ. Fecisti ut Juris Utriusq; Corpus Te primũ haberet Caput, ut Euripus Stagyriticus à Tuæ profunditate mentis, abyssale teneret altum. Nullus Juris extabat Paragraphus, quem Themidis mucrone Tuæ menti non impresseris, nullus Titulus, quem scire Honori

M Tuo

Tuo non duxeris, nulla lex quam non servaveris diligentissimè. Nullus Processus quem non decurreris ita sane: ut inter Canones, Canon virtutum & sapientiæ dicereris. Quotquot veniebas ad Regna, Rex animorum videbaris; quotquot inhabitabas Urbes, urbanitate Tua non poterant satiari. Quotquot subintrabas Academias, in Tui quælibet veneratione cadebat. Sequi quodammodo Sorbona Tuam humanitatem morumq; elegantiam videbatur, Hispania gravitatem Tuam anteponebat suæ, Tuum Italia acumen, suo præferebat. Vix ad Liliorum Regnum venisti, illico Gallicanus Hercules dicebaris, cùm animos omnium Tibi devicisti Principes & Proceres intelligo, vulgus enim ut stupore tenuisti suspensum. Traxisti in Tui æstimationem feliciter nunc Regnantem Serenissimum *LUDOVICUM XV.* Galliarum Regem, cujus cordi tantùm adhæsisti, quantùm Epaminondæ Lysias, aut Agamemnoni Nestor. Novit Monarcha Hic eximias ingenij Tui dotes, & ex vultu Tuo dignum Senatu Lechico ac Infulis legit Tuum, judicavitq;

CAPUT

CAPUT. Latus Tibi tanti Monarchæ patuit; quid mirum? cum & cor apertum eſſet, ex quo ſpiritum illum vaſtum, quô Ille Orbem complectitur, hauſiſti, ut Patriam Redux animares. Quid ille Principum Sanguinis in Te amor! eo loco Te dignantium, unde cæteris ſurgebat invidia; quanquam & hæc victa ultro cedebat, ne contra torrentem dotum Tuarũ niti argueretur: quis enim liveſcere poteſt? quod ſtellæ luceant, & noverit omnia Phæbus, Quisq; illuſtris, quisq; optimus Te videre, Te amicum habere cupiebat, & cùm habuit, exſatiari nequibat, cùm deſideria accenderes, plura in Te mirantium, quàm capi poterant; ut ſic eis ſatietate parare famem, & curas augere, ne Te amitterent videreris. Multi petunt exotica climata, ut quomodo ſub alieno Sole caleant, non quid calleant, experiantur, ardorem ilicitîs accenſum, quô Patriæ amorem extingvunt, reduces allaturi; ludicrîs animum occupent, ineptum ad ſeria reddituri. Alius nova vanitatis arte, veſtium formas effingit, alius in Patriam redux cuncta ſibi

licere ratus, sacros, profanosq; ritus avitos supercilio & voce fractâ excipit, aut infra se ponit elatus animô; cui plus inhæret, visus alicubi Phidiæ Sonipes, quàm Aristidis virtus. Tales errorem multô cùm emerint, se ipsos mirantur, sua non agnoscunt ubiq; peregrini etiam in Patria. Dixi ego. *TU ILLUSTRISSIME ARCHIPRÆSUL* damnas, & irasci videris famam exterorum, & suam corrumpentibus. Vidisti alienum solem jam Tibi notum, observâsti mores, jam Tibi probatos; nihil Te in stuporem rapuit, quia nihil ignotum occurrit, cùm omnia domi explorata habueris, antequam conspexisti, nihil tamen omisisti, ut audita, lecta, in mappis, in suis plantis visa, oculis si responderent perpenderes, sic nullibi Peregrinus, cùm Patriam amore Tecum circumferres, ut ornares. Ex tanta artium, experientiarum farragine, collegisti optima, more apis industriæ, quæ ex quocunq; mel exsugit flore. Ita Tui admirationem in exterorum animis cùm reliqueris, totam tamen adhuc natali Solo intulisti. Omnes miram in Te stupent ad res agendas acti-

vita-

vitatem, hic mentis profunditatem, ille morum concinnam ſymmetriam, ille arguta acroamata, alius Comitatem, ad elegantiam ſæculi regulatam, ſinguli ſingulas animi Tui dotes admirantur. Frons Tua læta & gravis, vultus ad majeſtatem generoſè renidens, animus nihil humile ſed ſublime ſpirans, Te à vulgo diſcernit, & Quis ſis? etiam non noſcentibus monſtrat. Hæc exacta rerum notitia conciliavit Tibi maximum reſpectum in corde Celſiſſimi olim Principis, *Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini THEODORI POTOCKI Archi-Epiſcopi Gneſnenſis Primatis Regni*, qui in arrham majoris ſuæ propenſionis, ad Canonicatum Te Archi-Cathedræ Metropolis Gneſnenſis promovit, cujus ſtallum vix occupâſti, illico Majores de Te in Eccleſia DEI certabant Honores, quorū legitimus es factus Poſſeſſor, dum videns maxima Tua merita *ANDREAS ŁUBIENSKI Scholaſticus Eccleſiæ Cathedralis Cracovienſis*, Vir de Eccleſia DEI meritiſſimus, Patruus Tuus, Te Coadjutorē ſuæ Scholaſteriæ Cracovienſis voto omnium effecit. Cujus Poſſeſſor quamprimùm factus es, il-

licò virtute & eruditione nitens, trinis
Vavelli Coronis majorem addidiſti ſplen-
323 dorem. Scholaſticū agens, Palæſtra vir-
tutum ac ſapientiæ eras, in qua plurimi,
quid diſcerent, habuere. Prælatus digniſ-
ſimus, nulli non protuiſti probitati, non
faſtu ſed gravitate Majeſtuoſus. Honorē
Illuſtriſſimi Capituli ſemper promovebas,
boni communis conſervatio non minus
Tuo adfuit amori, quam ſors Tua & fe-
licitas, non Tibi ſed Ejus commodo vi-
vēns, totam vitam Tuam in ejus obſequi-
um conſecrare ſtudebas. O quantus in
Te Cultûs Divini fuit zelus, ipſæ Sacræ
Exedræ teſtantur, ex quibus illas forma-
bas periodos, quæ circulo æternitatis inſe-
ri merebantur, illas parentheſes ducebas,
intra quas virtutes latent, nudis utebaris
verbis, ne veritatem obnmbrares, Jucun-
ditas Oris, illa Tua erat, quæ animos au-
dientium ad Divinum moveabat amorem,
verborum ille ornatus, ex quo ſtola glo-
riæ non uni prodijt, ille fervor qui trium-
phales Cœlo accendebat ignes, ille ſtylus
qui funes peccatorum reſcindebat per Exe-
drarum gradus ad altiora aſcendendo.
Poſt

Poſt intenſos in Eccleſia DEI labores, unanimî Perauguſti Capituli Crac: votô ad Tribunal Regni Deputatus omnia exactè, omnia juxta Juris Regulas pertractabas. Alternis vicibus ex Archi-Cathedra Metropolitana Gneſnenſi Vice-Præſidens Tribunalis, quidquid egiſti glorioſi hucusq; Te Orbi Polono deprædicant actus. Triumphavit ſub Te Præſide juſtitia, dum ſibi in Tuo *CAPITE POMIANEO* ſecurum pacis adinvenit Aſylum. Maxima illi ex ſublimi Tua ſapientia aſſurrexit honoris Ara, ad quam ille nonniſi & venire & facilè accedere potuit, qui ſancta ferebat jura. Admittebas ſub Tuum limatiſſimum Judiciũ Cauſarum controverſias, & nullæ non deciſæ abibant. Æquam fatebantur judicij lancem, quæ ſub Tuam æquiſſimam mentem comparebant. Linquebat ſtelligerũ Aſtræa Cœlum, in ſublunares terras eò libentiùs deſcendebat, quòd ei talem adeſſe feciſti cultum, qualem vix inter ſidera habere poteſt: Pro Baſi ac fundamento fuit Divæ Aſtreæ Tuum Gentilitium Caput, & facilè inter intricatiſſimas regnavit lites; nec unquam corruere potuit, tanto firma-

ta sustentaculô, quô & ipsa Regna non erat novum portari. Te coram maximæ æstimationis animorum unione, nunquam scissa contra veritatem ferebantur vota, quæ si aliquando dividi voluerunt, Tuo connectebantur sensu; sola vitia pondus judicij Tui non poterant ferre, quod sibi gravius senserunt, quàm Sisyphus saxum, & longè molestius à Tuis cruciabantur rationibus, quàm à sua Ixion rota. Certatim & si alia in Te publica ferantur negotia, unus ita omnia suscipis, peragisq; omnia quæ in plures divisa nõ exactiùs peragi possent. Quot functionum magnorumq; operũ capaces ætas antiqua vidit, æstimavitq; Viros, illis tot manus, tot pectora affingebat. Centum manus Briareo dedit, totidẽ Argo oculos attribuit, Gerionem tricorporem nominavit; Tuam *ARCHI-PRÆSUL Excellentissime*, Illustrissimam peccaret majestatem, qui summas animi Tui excellentias definitô numerô prædicaret. Minoribus exercitatus curîs, tantùm te Tua Magnitudine attollis, quantus in cursu gloriæ maximis Reipublicæ latoribus non impar assurgis. Te omnia negotia paratum Atlan-

tem

tem habent, neq; minor es pluribus, cum in Te cumulatim veniunt, quam ut pares omnibus humeros ſubmittas; neq; ita ſua Te multitudine in partes diſtrahunt, ut ad ſingula totus non accedas. Plus unus agis, quàm agere Centimani poſſent, plus Patriæ proſpicis bono, quàm centoculi valerent proſpicere Argi. Parant Tibi immortalis gloriæ famam tua glorioſa opera quibus indies flores: *DECANUS Archi-Cathedræ Metropolitanæ Gneſnenſis digniſſimus*, quantô alios gloriæ præiviſti exemplô; eſt Teſtis Major Polonia, ipſæq; Tuæ virtutes maniſeſtum de Te præbent documentum. *NOTARIUS REGNI*, quidquid in Diphtoris & Pandectis Tuô annotâſti calamô, aurô cedrôq; dignum, quot verba in Actis Regni expreſſiſti, tot Lycurgi effata. In expediendis Cauſis nullus Te promptior fuit, pennas ſcribentium prævolâſti eaq; celeritate matura ex tempore egiſti, in quibus alij conſumerent annos. Nihil tam durum erat, quod prudenti Tuo non emollires ſenſu, nihil tam pertinax, quod Tuis non pareret Decretis, nullum negotium quod à Tuo pendere non vellet Æquili-

O brio.

brio. Continuîs tot vexatus curîs, quis non miratur Tuam alti Judicij majestatem, dum non sine ingenti labore totius Orbis Historiam in unū collegisti volumen. Intensos huic negotio impendisti conatus, summi laboris adjecisti momenta quæ Te toto Orbe vocalem & celeberrimum reddunt. Dies noctesq; attrivisti, ut tantum opus eruditum, lucem publicam, detersâ præli sepiâ aspiceret. Hujus operæ pretio arrisisti legentium animis, ut ex doctissimis scriptis Tuis ad notitiam Gentium exterarum pervenerint. Placuit hæc mens Tua erudita, & in omnibus negotijs expediendis activitas Serenissimo, ac Invictissimo *AUGUSTO III. DEI Gratiâ Poloniarum REGI*, ideo emeritum Tuum Caput *ARCHI-PRÆSULEA* Leopoliensi coronavit Tyara, quæ nunc eminentior in Capite *POMIANEO* est, quia meritîs Tuîs sublimata nihil justius quam ut Tuæ inæstimabiles sapientiæ gemmæ *ARCHI-PRÆSULEIS* inserantur Infulis, ut eruditionis Tuæ lumina, Illustrissimis conjungantur titulis, ut contractus à Libris pallor, nunc in Purpura rubescat, ut Tua doctissima penna

quæ

quæ tot Librorum deſcripſit volumina in altum evolet, ut oleô Capitis Tui eruditiſſimi, ſacri inungantur honores, ut Divinum planè ingenium Tuum in Æde ſummi colatur Honoris, ut Tua adamantina Domûs ſapientiæ Columna, *ARCHI-PRÆSULEO* fulciatur Pedô, ut Tu Sol Poli Lechici, meritîs, virtutibus, doctrinâ ſplendidiſſimus, in Apogæo ſublimis Honoris colloceris. Applaudit Tuo Honori *ARCHI-PRÆSULEO* non tantum tota Polonia, non tantùm, tota Ruſſia, non tantùm Archi-Cathedra Leopolienſis cum tota Metropoli, verùm etiam Prima Regni Schola, inter feſtivos plauſus, cũ dulci ad Te venit Jubilo, & Quem Te nuper ſuum Filium, nunc maximum ſui veneratur Protectorem. Inter hæc exultantium animorum gaudia, accurrunt ad Te prima Sarmatici Poli ſidera, *Illuſtriſſimi Sanguinis nexu juncta, DUCES WISNIOWIECCII, PRINCIPES LUBOMIRSCII, KONIECPOLSCII, ZAMOYSCII, PSTROKONSCII, CIENSCII, LESZCZYNII, SŁODOWSCII, RADOLINSCII, RADOSZEWSCII, GORSCII, MYCIELSCII, BIELINSCII, OPACII, DĄMB-*

SCII, MORSZTYNII, CHWALIBOGOVII, 329 PRUSZKOSCII, MĄCZYNSCII, WALESCII, ZAPOLSCII, REMERII, WEZYKOVII, STRASZOWSCII, STOKOWSCII, GRABSCII, DEMBIENSCII, SAŁTYKOVII, STADNICCII, PRZYREMBSCII, SOKOŁOVII, & millena alia in utraq; tam Majori, quâm Minori Polonia primarum Familiarum Nomina, *TUO ARCHI-PRÆSUL Illustrissime* solennissimo assistunt Ingressui. Exultat tota Leopoliensis Archi-Diœcesis, quod Tibi *ARCHI-PRÆSULEO* jam fuerit desponsata annulo, abeunt jam Tibi Pastori in Victimam oves Tuæ, videntes Te paratum esse ipsá animã dividere pro illis, si dividi posset. Et cum Te numerosus suis votis undiq; populi comitatur cætus, hoc Tibi uná cum Studiorum Matre precatur: ut ad primum, in hanc Archi-Cathedram Tuam, Ingressum, *ARCHI-PRÆSUL Illustrissime* primos gratiarum Cœlestium penes longævã incolumitatẽ experiaris favores;

Honorq; hic *ARCHI-PRÆSULEUS*, qui meritis Tuis elevatus, in *POMIANEO CAPITE* est eminentior, fiat in Te quantocyus eminentissimus.